



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S.Th. quondam  
Louanij Professoris Tractatvs De Restrictionvm Mentalivm  
Abvsv**

**Malderen, Jan van**

**Antverpiæ**

Capvt VII. Quæ sit virtus Veracitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41105**

## C A P V T VII.

*Quæ sit virtus Veracitatis.*

**D**IUVS Thomas 2. 2. q. 109. tractat de  
hac virtute, & secundūm eius exquisi-  
*Quid vir-* tam doctrinam, Veritas sive Veracitas est vir-  
*sus Verita-* tus moralis qua verum dicimus, neque plus  
*sis.*

neque minus quām rei veritas habet; idque  
quando oportet, & secundūm quod oportet: item, qua in nobis signa & signata debi-  
tē proportionantur & adæquantur: item,  
qua ea quæ circa nos sunt, congruo modo  
manifestamus alteri, ut societas humana  
seruetur. Nota ex eodem D. Thoma q. 110.  
a. 1. ibidem, falsum enuntiare, esse falsitatem  
materialiter; velle falsum enuntiare, esse  
falsitatem formaliter; & velle fallere falsum  
enuntiando, esse falsitatem effectuè, sive fal-  
sitatis effectum. In voluntate falsum enun-  
tiandi, propriè situm est mendacium. Enun-  
tiat autem sufficienter, qui etiam nutibus  
enuntiat aut alio facto. Quare etiam simula-  
tio est contra hanc virtutem, ut docet idem  
D. Thomas ibidem q. 111. Quia tamen in  
signis principalem locum obtinent verba,  
maximè in eis veritas spectāda est. *Sunt enim*  
*verba* ( inquit Augustinus Enchiridij c. 22.)  
*propterea instituta, non per quæ se inuicem ho-*  
*mines*

*Simulatio  
est contra  
virtutem  
Veritatis.*

*Verborum  
finis.*

DE ABVS V RESTRICT. MENT. SI

mine fallant; sed per quæ in alterius quisque  
notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur  
uti ad fallaciam, non ad quod instituta  
sunt, peccatum est. Rectè dixit D. Bernar-  
dus in Sententijs suis: *Chaos magnum inter-*  
*nos firmatum est, nisi interueniente quasi in-*  
*strumento verborum fiat ad inuicem transitus*  
*quidam cordium in communicatione cogitatio-*  
*nem. Hac necessitate inuenta sunt verba.*  
Chaos istud non traiicitur, si non idem sit in  
ore quod in corde. Consistit virtus ista <sup>Veracitatis</sup> <sub>medium.</sub>  
tatis in medio inter plus & minus, sicut aliæ  
virtutes morales. Quod duobus modis ex-  
plicatur: uno, si dicas, hominem per hanc  
virtutem neque maiora neque minora de se  
dicere, quām sint in se, aut esse cognoscantur  
ab ipso: altero, ut per excessum dicatur con-  
tra veritatem peccare, qui falsa dicit per de-  
fectum, qui verum quando oporteret effer-  
re subtitet. Albertus Magnus in libello de  
Virtutibus, c. 18. dicit veritatem iustum esse,  
quando verè concordant mens & lingua &  
opera. Videant itaque, quando lingua men-  
ti non consonat, ne & opera putentur ipso-  
rum dissonare à verbis; ut similes fiant illis,  
quos Dominus reprehendit quòd dicant &  
non faciant.

D 2

CA-